



Chitomarus corporis & animi fortitudine præditus fuit. Erat is à puero in Boiaria educatus, atque Vtiloni duci gratissimus. Itaque cum ipso Francorum castra secutus, hinc inde magnam militiae laudem adeptus est. Hinc factum ut Vtilo iussu regis Pipini eum Venedis, qui Noricum infra Taurum montem, & superiorem Pannoniā, in cōfinio Dalmatię, Liburnię, & Illyrię ad fontes Draui & Saui amnes habitavit, ducem dederit, atq; passim Christianam religionem plantare apud eos populos iusserit. Tum etiam Modestus præfus, Lotharius, Latinus, Battus, Reginobertus, & Richardus ecclesiarum ministri ad Charnos à S. Vergilio missi ut sacris ibi operarentur. Cum autem postea anno 770 primores eius regionis Chitomaro rebellassent, quod auita religione explosa nouam Christianam introduxisset, Thassalonus Boiorum dux in Venedos arma mouit, atq; Chitomaro parere coegerit. Hoc modo factum ut Chitomarus magna prudenteria religionem ueram ihs in locis introduxerit, ac summa animi moderatione populum gubernarit. Cum autem ipse esset mortuus, Venedorum proceres iugum religionis Christianę excutiunt, & sacerdotes in Boariam iterum abigunt. Verum Thassilo cū exercitu ad eos progressus, uicit & eis Valdungum ducem dedit. Post eum Ingo tertius dux constitutus, qui sua industria

Venedorum regulos ad Christi religionem perduxit. id
quod suo loco declarabitur. Auent. lib. 3.